

rapiat, quærens quid accuset aut quid vituperet, incolere intrat, non inhabitare et perseverare. Nec istos tamen timeamus, fratres : « In Deo speravi, non timebo » quid faciat mihi caro¹. » Etsi incolunt, etsi intrant, etsi fingunt, etsi abscondunt, caro sunt : tu in Domino spera, nihil tibi faciet caro. Sed infert tribulationem, infert conculcationem ? Accedit vinum, quia uva premittitur. Tribulatio tua infructuosa non erit : alter videt te, imitatur te : quia et tu ut disceres talem ferre, caput tuum contemplatus es, botrum illum primum, ad quem intravit homo ut videret, incoluit, et abscondit traditor Judas. Omnes ergo ficto animo intrantes, incolentes et abscondentes noli timere. Pater ipsorum Judas cum Domino tuo fuit : et ille quidem noverat eum, quanquam Judas traditor incolebat et abscondebatur, tamen cor ipsius Domino rerum patebat : sciens ille elegit unum, unde tibi solatium faceret nescituro quos devites. Poterat enim ille non eligere Judam, quia noverat Judam : ait quippe Discipulis : « Nonne ego vos duodecim elegi, et unus ex » vobis diabolus est² ? » Ergo et diabolus electus est ? Aut si electus non est, quomodo duodecim elegi, et non potius undecim ? Electus et ille est, sed ad aliud. Electi undecim ad opus probationis, electus unus ad opus tentationis. Unde possit tibi exemplum dare nescituro quos devites malos, quos caveas falsos et fictos, incolentes et abscondentes, nisi ut dicat tibi : Ecce ego mecum habui unum ipsorum ? præcessit exemplum, toleravi, perferre volui quod sciebam, ut tibi nescienti præberem solatium. Quod mihi fecit, hoc faciet et tibi : ut multum possit, ut multum sæviat, accusaturus est, falsa crimina dicturus est. Ut prævaleant falsitates, numquid in te prævalebunt, et in me non prævaluerunt ? In me certe prævaluerunt,

¹ Psal. LV, 5. — ² Joan. VI, 71.

sed cœlum mihi non abstulerunt. Caro ipsius sepulta, falsos testes pertulit : parum fuit eos perpeti in iudicio, perpeccatus est in sepulcro. Acceperunt pecuniam ut mentirentur, dixerunt : « Cum dormiremus, venerunt Discipuli ejus, et abstulerunt eum¹. » Tales autem cæci erant Judæi, ut crederent dicto omnino incredibili : crediderunt testibus dormientibus ! Aut falsum erat quod dormierunt, et mendacibus credere non debuerunt : aut verum erat quod dormierunt, et quod factum est nescierunt. « Incolent, et abscondent. Incolant, et abscondant : quid facturi ? » In Deo speravi, non timebo quid faciat mihi caro. »

X. « Ipsi calcaneum meum observabunt². » Etenim sic incolent et abscondent, ut observent ubi homo labitur. Intenti sunt ad calcaneum, quando fiat lapsus, ut pedem teneant ad ruinam, aut pedem supponant ad offensionem, certe ut inveniant quod accusent. Et quis ita ambulet ut nusquam labatur ? Certe quod cito fit vel in lingua ? Etenim scriptum est : « Si quis in lingua non offendit, hic » perfectus est vir³. » Quis tandem se audeat dicere aut putare perfectum ? Ergo necesse est ut aliquis labatur in lingua. Illi autem qui incolent et abscondent, aucupantur verba omnia, quærentes alicubi laqueos et nodosas facere calumnias, quibus prius ipsi implicantur, quam quos implicare contendunt : ut prius ipsi capiantur et pereant, quam alios capiant ut perdant. Etenim recurrit homo in cor suum, et inde recurrit ad Deum, et novit dicere : « In Deo laudabo sermones meos. » Quidquid bonum dixi, quidquid verum dixi, Dei dixi, et de Deo dixi : quidquid forte aliud dixi quod dicere non debui, homo dixi, sed sub Deo dixi. Qui confirmat ambulanti, minatur erranti, ignoscit agnoscenti, revocat linguam, re-

¹ Matth. XXVIII, 13. — ² Psal. LV, 7. — ³ Jacob. III, 2.

vocat lapsum. « Justus enim septies cadet et resurget, » impii vero infirmabuntur in malis¹. » Non ergo timeat unusquisque nostrum callidos insectatores, aucupes verborum, dinumeratores pene syllabarum, et prævaricatores præceptorum. Quid in te arguat attendit : ut credat per te Christo, non attendit. Attende in sermones ejus quem reprehendis, ne forte te aliquid salubriter doceat. Et quid me, inquit, salubriter poterit docere, qui sic lapsus est in verbo? Hoc ipsum te forte salubriter docet, ne sis auceps verborum, sed collector præceptorum. « Ipsi » calcaneum meum observabunt. »

XI. « Sicut sustinuit anima mea. » Hoc dico quod sustinui. Loquebatur expertus : « Sicut sustinuit anima mea. » Incolent et abscondent. Omnes sustineat anima mea; foris latrantes, intus occultantes sustineat. Forinsecus veniens, quasi fluvius venit tentatio : in petra te inveniatur, impingat, non dejiciat; fundata est domus supra petram². Intus est, incolent et abscondet : ut palea tibi vicinetur, intret tritura boum, intret tribula tentationum; tu purgaris, illa comminuitur.

XII. « Sicut sustinuit anima mea, pro nihilo salvos facies eos³. » Docuit et pro ipsis orare. Nempe « Incolent et abscondent, » nempe dolosi, nempe simulatores atque insidiatores sunt : tu ora pro eis, et noli dicere : Numquid et talem hominem Deus correcturus est, tam malum, tam perversum? Noli desperare : quem roges attende, non pro quo roges. Magnitudinem morbi vides, potentiam medici non vides? « Incolent et abscondent : » sicut sustinuit anima mea. » Sustine, ora : et quid fit? « Pro nihilo salvos facies eos. » Sic illos salvos facies, ut nihil tibi sit, id est, ut nullus labor tibi sit. Hominibus desperati sunt, sed tu verbo curas; non laborabis in cu-

¹ Prov. xxiv, 16. — ² Matth. vii, 25. — ³ Psal. lv, 8.

rando, quamvis nos stupeamus inspiciendo. Est alius sensus in hoc versu : « Pro nihilo salvos facies eos : » nullis eorum meritis præcedentibus salvos facies eos. « Qui prius » fui blasphemus, inquit, et persecutor et injuriosus¹. » Accipiebat litteras a sacerdotibus, ut ubicumque inveniret Christianos, alligaret et adduceret². » Utique ut alligaret et adduceret, primo incolebat, et abscondebat. Nulla ergo hujus bona merita præcesserant, imo talia præcesserant, de quibus damnaretur : nihil boni attulit, et salvus factus est. « Pro nihilo salvos facies eos. » Non ad te afferent hircos, arietes, tauros, non dona et aromata afferent in templo tuo, non aliquid de conscientia bona libaminis superfundunt; totum in illis asperum, totum tetrum, totum detestandum : et cum illi ad te nihil afferant, unde salventur : « Pro nihilo salvos facies eos, » id est, gratis data gratia tua. Quid ille latro attulerat ad crucem? De fauce in judicium, de judicio in lignum, de ligno in paradysum³. Credidit, propter quod locutus est⁴. Sed et ipsam fidem quis donavit, nisi qui juxta pependit? « Pro nihilo » salvos facies eos. »

XIII. « In ira populos deduces. » Irasceris et deducis, sævis et salvas, terres et vocas. Quid est enim : « In ira » populos deduces? » Implet tribulationibus omnia, ut in tribulationibus positi homines recurrant ad te, ne deliciis et securitate perversa seducantur. A te ira videtur, sed paterna. Irascitur pater filio contemptori præceptorum suorum : iratus ei eum colaphizat, cædit, aurem vellit, manu trahit, ad scholam ducit. « In ira populos deduces. » Quam multi ingressi sunt, quam multi impleverunt domum Domini, in ira ejus deducti, id est, tribulationibus territi; et fide impleti? Ad hoc enim exagitat tribulatio,

¹ Tim. i, 13. — ² Act. ix, 2. — ³ Luc. xxii, 43. — ⁴ Psal. cxv, 10.

ut exinaniat vas quod plenum est nequitia, ut impleatur gratia. « In ira populos deduces. »

XIV. « Deus, vitam meam enuntiavi tibi¹. » Ut vivam enim, tu fecisti, et ad hoc enuntio vitam meam tibi. Itane vero Deus ignorabat quod dederat? quid est quod illi enuntias? Docere vis Deum? absit. Ergo quid ait: « Enuntiavi tibi? » An forte: Quia tibi prodest quod enuntiavi vitam meam? Et quid prodest Deo? Lucris Dei prodest. Enuntiavi Deo vitam meam, quia vivere me fecit Deus. Quomodo enuntiavit vitam suam Paulus apostolus, dicens: « Qui prius fui blasphemus et persecutor et injuriosus². » Enuntiet vitam suam: Sed misericordiam consecutus sum. Enuntiavit vitam suam, non sibi, sed illi: quia sic enuntiavit ut illi crederetur, non ad lucra sua, sed ad lucra illius. Quid enim ait ipse Paulus? « Ideo Christus mortuus est et resurrexit, ut qui vivit jam non sibi vivat, sed ei qui pro omnibus mortuus est³. » Si ergo vivis, et non a te vivis, quia ut viveres ille præstitit; enuntia vitam tuam, non tibi, sed illi; non tua quærens, non tibi vivens, sed ei qui pro omnibus mortuus est. Et enim de quibusdam reprobis quid ait idem Apostolus? « Omnes enim sua quærent, non quæ Jesu Christi⁴. » Si propterea enuntias vitam tuam ut tibi prosit, et aliis non prosit; tibi illam enuntias, non Deo: si autem sic enuntias vitam tuam, ut alios etiam invites ad accipiendam vitam, quam et tu accepisti; enuntias vitam tuam illi a quo accepisti, et habebis mercedem ampliorem, quia et ex eo quod accepisti non ingratus extitisti. « Deus vitam meam enuntiavi tibi. Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo. » Exaudisti me deprecantem te. « Sicut et repromissione tua. » Quia sic promiseras, hoc egisti. Dixisti te exauditurum flentem: credidi, flevi, exauditus

¹ Psal. LV, 9. — ² I Tim. I, 13. — ³ I Cor. V, 15. — ⁴ Philip. II, 21.

sum; inveni te misericordem in repromittendo, veracem in reddendo. « Sicut et in repromissione tua. »

XV. « Convertantur inimici mei retrorsum¹. » Hoc ipsis prodest, non male illis optat. Etenim præcedere volunt, ideo corrigi nolunt. Mones inimicum tuum ut bene vivat, ut se corrigat: ille contemnit, ille respuit verbum tuum: Ecce qui me monet, ecce a quo auditurus sum præcepta quibus vivam. Præcedere te vult, et præcedendo non corrigitur. Non attendit quia verba tua non sunt tua; non attendit quia vitam tuam Deo enuntias, non tibi. Præcedendo ergo non corrigitur: bonum est illi ut convertatur retrorsum, et quem præcedere volebat sequatur. Dominus de passione sua futura Discipulis loquebatur, exhorruit Petrus, et ait: « Absit, Domine, non fiet istud: » qui paulo ante dixerat: « Tu es Christus Filius Dei vivi, » confessus Deum, timuit eum mori quasi hominem. Dominus autem qui sic venerat ut pateretur, (neque enim aliter salvi esse possemus, nisi ejus sanguine redimeremur:) paulo ante confessionem Petri laudaverat, et dixerat: « Quia non tibi caro et sanguis revelavit hoc, » sed Pater meus qui in cælis est: propterea tu es Petrus, » et super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, et » portæ inferorum non vincent eam; et tibi dabo claves » regni cælorum: » Videte quemadmodum prosecutus est confessionem veram, piam, plenam fiducia, quia dixit: « Tu es Christus Filius Dei vivi. » Continuo autem ubi coepit loqui Dominus de passione sua, timuit ille ne periret moriendo, cum ipsi nos periremus nisi ille moreretur; et ait: « Absit, Domine, non fiet istud. » Et Dominus illi, cui paulo ante dixerat: « Beatus es, et super hanc petram » ædificabo Ecclesiam meam. Redi, inquit, retro, Satanas, scandalum mihi es: » Quare ergo Satanas, qui

¹ Psal. LV, 10.

paulo ante beatus et petra? « Non enim sapis quæ Dei » sunt, ait, sed quæ sunt hominis¹. » Paulo ante quæ Dei : « Quia non revelavit tibi caro et sanguis, sed Pater » meus qui in cœlis est. » Quando in Deo laudabat sermonem, non Satanas, sed Petrus a petra : quando autem a se, et ex humana infirmitate, amore hominis carnali, quod impedimento esset saluti ipsius et cæterorum, Satanas dictus est. Quare? Quia præcedere Dominum volebat, et Duci cœlesti terrenum dare consilium. « Absit, Domine, » non fiet istud. » Dicis : « Absit; » et dicis : « Domine : » utique si Dominus est, potestate facit; si magister est, novit quid faciat, novit quid doceat : tu autem vis ducere ducem, docere magistrum, jubere Domino, optare Deo : multum præcedis, « Redi retro. » Numquid non et istis inimicis hoc proderat? « Convertantur inimici mei retrorsum : » sed non remaneant retrorsum. Ideo convertantur retrorsum, ne præcedant; sed ut sequantur, non ut remaneant. « Convertantur inimici mei retrorsum. »

XVI. « In quacumque die invocavero te, ecce scivi » quoniam Deus meus es tu². » Magna scientia. Non ait : Scivi quia Deus es : sed, « Quia Deus meus es tu. » Tuus est enim, cum tibi subvenit : tuus est, cum tu ab illo alienus non es. Unde dicitur : « Beatus populus, cujus est » Dominus Deus ipsius. » Quare, « Cujus est? » Cujus enim non est? Omnium quidem Deus est : sed eorum Deus proprie dicitur, qui eum diligunt, qui eum tenent, qui illum possident, qui illum colunt, tanquam de domo ipsius, magna sunt familia ejus, redempti magno sanguine unici Filii. Quantum dedit nobis Deus, ut ipsius essemus et ipse sit noster? At vero alienigenæ longe facti a sanctis, filii alieni sunt. Videte quid de illis dicatur in alio Psalmo : « Domine, libera me, ait, de manu filiorum alienorum, »

¹ Matth. xvi, 16-23. — ² Psal. lv, 10.

» quorum os locutum est vanitatem, et dextera eorum » dextera iniquitatis. » Et vide altitudinem ipsorum, sed altitudinem diei, id est, superbiam temporalem. « Quo- » rum filii eorum, inquit, sicut novellæ constabilitæ, » filiæ eorum ornatae ut similitudo templi. » Felicitatem describit præsentis sæculi, in qua errantes homines, et eam pro magno habentes, felicitatem veram sempiternamque non quærunt. Inde ergo isti filii alieni, non filii Dei : » Quorum filii eorum, inquit, sicut novellæ constabilitæ, » filiæ eorum ornatae sicut similitudo templi : cellaria » eorum plena, eructantia ex hoc in hoc : boves eorum » crassi, oves eorum fœcundæ, multiplicantes in exitibus » suis : non est ruina maceriæ neque transitus, neque » clamor in plateis eorum. » Et quid sequitur? « Beatum » dixerunt populum cui hæc sunt. » Sed qui dixerunt? Filii alieni, « Quorum os locutum est vanitatem. » Tu quid dicis? « Beatus populus, cujus est Dominus Deus ipsius¹. » Tulit omnia de medio cætera quæ dat Deus, et dedit ipsum Deum. Omnia quippe illa, fratres, quæ commemorarunt filii alieni, Deus dat; sed et alienis dat, sed et malis dat, sed et blasphemis dat, « Qui solem suum oriri facit super bonos et » malos, et pluit super justos et injustos². » Aliquando ista bonis dat, aliquando non dat : et malis aliquando dat, aliquando non dat : bonis tamen servat se ipsum, malis autem ignem sempiternum. Est ergo malum quod non dat bonis, et est bonum quod non dat malis : sunt quædam media et bona et mala, quæ dat et bonis et malis.

XVII. Nos ergo Deum amemus, fratres, pure et caste. Non est castum cor, si Deum ad mercedem colit. Quid ergo? mercedem de Dei cultu non habebimus? Habebimus plane, sed ipsum Deum quem colimus. Ipse nobis merces erit, quia videbimus eum sicuti est³. Attende quia mer-

¹ Psal. cxlvi, 11-15. — ² Matth. v, 45. — ³ 1 Joan. iii, 2.

cedem consequeris. Amatoribus suis Dominus noster Jesus Christus quid dicit? « Qui diligit me, mandata mea custodit; et qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum. » Quid illi ergo dabis? « Et ostendam me ipsum illi¹. » Si non amas, parum es: si amas, si suspiras, si gratis colis eum, a quo gratis emptus es, non enim eum promerueras ut te redimeret, si consideratis in te beneficiis ejus suspiras, et inquietum habes cor desiderio ejus; noli extra eum aliquid ab eo querere, ipse tibi sufficit. Quantumlibet sis avarus, sufficit tibi Deus. Etenim avaritia terram querebat possidere totam, adde et cœlum: plus est qui fecit cœlum et terram. Dicam, fratres: In istis humanis conjugiiis considerate cor castum quale sit ad Deum: certe humana conjugia sunt, non diligit uxorem suam, qui propter dotem illam diligit: non maritum caste diligit, quæ propterea diligit, quia aliquid donavit, aut quia multum donavit. Et dives maritus, et pauper factus maritus est. Quam multi proscripti a castis uxoribus amplius dilecti sunt? Probata sunt multa casta conjugia calamitatibus maritorum: ne aliud amare quam maritum putarentur, non solum non deseruerunt, sed amplius obsecutæ sunt. Si ergo maritus carnalis gratis diligitur, si caste diligitur; et uxor carnalis gratis diligitur, si caste diligitur; Deus quomodo diligendus est, verus et verax animæ maritus ad prolem sempiternæ vitæ fecundans, et steriles nos non esse permittens? Illum ergo sic diligamus, ut aliud præter ipsum non diligatur: et fit in nobis quod diximus, quod cantavimus, quia et hic vox nostra est: « In quacumque die invocavero te, ecce scivi quoniam » Deus meus es tu. » Hoc est invocare Deum, gratis invocare. Proinde de quibusdam quid dictum est? « Dominum non invocaverunt. » Quasi Dominum sibi invocare

¹ Joan. xiv, 23.

videbantur; et petebant eum de hæreditatibus, de amplianda pecunia, de prolonganda vita ista, de cæteris temporalibus rebus: et quid de illis Scriptura? « Dominum non invocaverunt. » Ideo quid sequitur? « Ibi timuerunt timore, ubi non erat timor¹. » Quid est, « Ubi non erat timor? » Ne illis subtraheretur pecunia, ne aliquid in domo eorum minus feret; postremo ne minus annorum haberent in hac vita, quam sibi sperabant: verum « Ibi trepidaverunt timore, ubi non erat timor. » Quales fuerunt illi Judæi: « Si dimiserimus eum vivere, » venient Romani, et auferent a nobis et locum et gentem². » Ibi timuerunt timore ubi non erat timor. « Ecce scivi, » quoniam Deus meus es tu. » Magnæ divitiæ cordis, magnum lumen oculi interioris, magna fiducia securitatis: « Ecce scivi quoniam Deus meus es tu. »

XVIII. « In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem: in Deo speravi, non timebo quid faciat mihi homo³. » Jam ipse est sensus qui superius est repetitus.

XIX. « In me sunt, Deus, vota tua, quæ reddam laudis tibi⁴. » Vovete, et reddite Domino Deo vestro⁵. Quid voveatis, quid reddatis? An forte animalia illa quæ offerebantur ad aras aliquando? Nihil tale offeras: in te est quod voveas et reddas. De cordis arca profer laudis incensum, de cellario bonæ conscientiæ profer sacrificium fidei. Quidquid profers, accende charitate. In te sint vota, quæ reddas laudis Deo. Cujus laudis? Quid enim tibi præstitit? « Quoniam eruisti animam meam de morte. » Ipsa est illa vita quam enuntiat illi: « Deus vitam meam enuntiavi tibi. » Quid enim eram? Mortuus. Per me ipsum eram mortuus: per te quid sum? Vivus. Ideo « In me sunt,

¹ Psal. xiii, 5. — ² Joan. xi, 48. — ³ Psal. lv, 11. — ⁴ Ibid. 12. — ⁵ Id. lxxv, 12.

» Deus, vota tua, quæ reddam laudis tibi. » An amo Deum meum : nemo hunc mihi eripit : quod illi dem , nemo mihi eripit , quia in corde inclusum est. Merito dicitur in illa superiore fiducia : « Quid faciat mihi homo ? » Sæviat homo , prætermittatur sævire , permittatur efficere quod conatur : quid est ablaturus ? Aurum , argentum , pecora , servos , ancillas , fundos , domos ; auferat omnia : numquid aufert vota , quæ in me sunt , quæ reddam laudis Deo ? Permissus est tentare tentator sanctum virum Job¹ , uno puncto temporis abstulit omnia ; quidquid facultatum habuerat ademit : abstulit hæreditatem , interfecit hæredes ; neque hoc paulatim , sed catervatim , uno ictu , uno impetu , ut omnia subito nuntiarentur : ablati omnibus solus remansit Job ; sed in illo erant vota laudis quæ redderet Deo , in illo plane erant : arcam sancti pectoris sui fur diabolus non invaserat , plenus erat unde sacrificaret. Audi quæ habebat , audi quæ protulit : « Dominus dedit , » Dominus abstulit ; sicut Domino placuit , ita factum est : » sit nomen Domini benedictum². » O divitiæ interiores , quo fur non accedit ! Ipse dederat Deus unde accipiebat ; ipse ditaverat , unde illi offerebat quod amabat. Laudem a te quærit Deus , confessionem tuam quærit Deus. Sed de agro tuo aliquid daturus es ? Ipse pluit ut haberes. De arca daturus es aliquid ? Ipse instituit quod daturus es. Quid daturus es quod ab illo non accepisti ? « Quid enim » habes quod non accepisti³ ? » De corde dabis ? Ipse dedit fidem , spem et charitatem : hoc prolaturus , hoc sacrificaturus es. Sed plane omnia illa cætera potest tibi auferre inimicus invito , hoc auferre non potest nisi volenti. Illa perdet et invitus ; et volens habere aurum , perdet aurum ; et volens habere domum , perdet domum : fidem nemo perdet nisi qui spreverit.

¹ Job. 1, 12. — ² Ibid. 21. — ³ 1 Cor. 14, 7.

XX. « In me sunt Deus vota tua , quæ reddam laudis » tibi : quia eruisti animam meam de morte , oculos meos » a lacrymis , et pedes meos de lapsu : ut placeam coram » Deo in lumine viventium¹. » Merito non placet filiis alienis longe factis a sanctis , quia non habent lumen viventium , unde videant quod Deo placet. Lumen viventium , est lumen immortalium , lumen sanctorum. Qui non est in tenebris , placet in lumine viventium. Attenditur homo et ea quæ ipsius sunt , nemo scit qualis est : Deus videt qualis est. Aliquando et ipsum diabolus latet ; nisi tentet , non invenit : sicut de isto viro , quem modo commemoravi. Noverat eum Deus , et ei testimonium perhibebat : diabolus eum non noverat , et ideo dixerat , « Numquid Job » gratis colit Deum² ? » Videte quo provocat inimicus : ibi perfectio est. Videte quid objicit inimicus : Videbat hominem Deo servientem , in omnibus obsequentem , omnia bene operantem ; et quia dives erat et felicissima domus , hoc objicit , quia ideo colit Deum , quoniam dedit illi hæc omnia : « Numquid Job gratis colit Deum ? » Hoc enim erat verum lumen , hoc lumen viventium , ut gratis coleret Deum. Deus videbat in corde servi sui cultum suum gratuitum. Placebat enim illud cor in conspectu Domini in lumine viventium : diabolus latebat , quia in tenebris erat. Admisit Deus tentatorem , non ut ipse nosset quod noverat , sed ut nobis noscendum et imitandum præberet. Numquid enim si tentator non admitteretur , videremus nos ipsi in Job quod deberemus et vellemus imitari ? Admissus est tentator , abstulit omnia , remansit ille solus a facultatibus , solus a familia , solus a filiis , plenus Deo. Uxor sane relicta erat. Misericordem putatis diabolum , qui ei reliquit uxorem ? Noverat per quam deceperat Adam.

¹ Psal. LV, 13. — ² Job. 1, 9.

Suam reliquerat adjutricem, non mariti consolatricem. Ille ergo plenus Deo, in quo vota erant, quæ redderet laudis, ut ostenderet quia gratis Deum colebat, non ideo quia tanta acceperat; et amissis omnibus talis est, quia illum qui dederat omnia, non amisit: « Dominus dedit, inquit, » Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est: » sit nomen Domini benedictum¹. » Vulnere etiam percussus a capite usque ad pedes, integer tamen intus, respondit tentatrici, de lumine viventium, de lumine cordis sui: « Locuta es tanquam una ex insipientibus mulieribus², » id est, tanquam ea quæ non habet lumen viventium. Lumen enim viventium sapientia, et tenebræ insipientium stultitia est. « Locuta es tanquam una ex » insipientibus mulieribus: » carnem meam vides, lumen cordis mei non vides. Poterat enim illa tunc virum amplius amare, si pulchritudinem interiorem nosset, et inspiceret ubi ille pulcher erat coram oculis Dei: quia in illo erant vota, quæ redderet laudis Deo. Quomodo illud patrimonium non invaserat inimicus? Quam integrum erat quod possidebat, et propter quod amplius possidendum sperabat iturus a virtutibus in virtutem. Ergo, fratres, ad hoc nobis valeant hæc omnia, ut Deum gratis diligamus, in illo speremus semper, nec hominem, nec diabolium timeamus. Nec ille, nec iste facit aliquid, nisi quando permittitur: permitti ad nihilum potest, nisi quod nobis prodest. Toleremus malos, simus boni, quia et nos fuimus mali. Pro nihilo salvos faciet Deus omnes de quibus desperare audeamus. Ergo de nemine desperemus, pro omnibus quos patimur oremus, a Deo nunquam recedamus. Patrimonium nostrum ipse sit, spes nostra ipse sit, salus nostra ipse sit. Ipse hic consolator, ibi munerator, ubique vivi-

¹ Job. 1, 21. — ² Id. 11, 10.

ficator et vitæ dator; non alterius vitæ, sed illius de qua dictum est, « Ego sum via et veritas et vita¹: » ut et hic in lumine fidei, et ibi in lumine speciei, tanquam in lumine viventium, in conspectu Domini placeamus.

¹ Joan. xiv, 6.

ANOTATIO (1) pag. 48.

Maximianus ipse est monachus de Bonislarum schismate rhegnas, qui adversus Praxianum factus catholicus Episcopus cepit ex illi Maximianorum Consule Emendationem in Psalmo xxvii, Serm. 11.

FINIS TOMI CENTESIMI DECIMI-QUINTI.

ANOTATIO (2) pag. 50.

Hic silentio prætere non licet quod in S. Fulgentii Vita narratur, cap. iii. Sallect cum ipse animo jam ante decrevisset renuntiare seculo, aliquando tandem Beati Augustini copiosius, tricesimum sextum Psalmonum disputationem commouit et compunctus, publicum suum statum notans, multum gestiens habitum.

ANOTATIO (3) pag. 52.

Id sane commendat supra in secundo Sermone super Psalmum xxxiv, habeo apud Carthaginem in basilica S. Cypriani: que in ceteris locis quoque Sermones super Psalmum xxxiv peramittas lucis intelliges variis ex locis.